Lycien.

Stantibus &c.

D V B I A

I. *An Epiſcopus viſitans clauſuram Monialium Regularibus ſubiectarum ingredi poſſit cum Pluuiale, & Stola.*

II. *An Epiſcopo viſitare volenti clauſuram dd. Monaſteriorum Moniales teneantur erigere in Eccleſia exteriori, vel interiori Sedem cum Baldacchino, vel ſolummodo ſufficiat illi ſtratum præparare in vtraque Eccleſia.*

III. *An Epiſcopum dd. Monaſteriorum clauſuram viſitare volentem teneantur Moniales omnes excipere proceſſionalitèr cum Cruce, & Cantico* Benedictus.

IV. *An Prior Prouincipalis poſſit ad formam Conſtitutionis Alexandri VII. clauſuram interiorem viſitare, ſepta Monaſteriorum Monialium ſuæ curæ ſubiectarum ingrediendo abſque vlla licentia Epiſcopi*, & quatenùs affirmatiuè.

V. *An Epiſcopus ſaltèm debeat certiorari de die, & hora talis viſitationis, & à quo.*

VI. *An Prior Prouincialis pro viſitatione Clauſuræ interioris poſſit in Conuiſitatorum aſſumere Patrem Vicarium earundem Monialium, vel quemlibet alium Patrem ſui Ordinis maturæ ætatis abſque licentia Epiſcopi, vel eius certioratione.*

VII. *An idem Prior Prouincialis viſitationem perſonalem Monialium Monaſteriorum exemptorum ſui Ordinis valeat facere ad crates tantum.*

VIII. *An idem Prior Prouincialis ab Epiſcopo impeditus ne talem viſitationem ad Crates faciat, eandem facere poſſit ad Confeſſionale, vel ad feneſtrellam Sanctiſſimæ Comunionis.*

IX. *An eandem viſitationem alibi faciens, veluti ad Confeſſionale, vel ad feneſtrellam Sanctiſſimæ Comunionis incidat in pœnas Conſtit. Alexandri VII.*

X. *An Epiſcopus directè, vel indirectè impediens talem viſitationem incidat in pœnas Conſtitutionis Clementinæ de Stat. Monachor.*

XI. *An Prior Conuentus S. Io: de Aymo Ordinis Prædicatorum Ciuitatis Lycien., & Vicarius ordinarius dd. Monaſteriorum abſque licentia Epiſcopi locutorium ingredi poſſit, ibique cum ſuis Monialibus alloqui, an vero*

 ſolum-

Digitized by Google

ſolummodo quando ſic exigit exacta adminiſtratio ſui officij.

XII. *An idem P. Vicarius abſque licentia Epiſcopi loquutorium ingredi poſſit ad viſitandas Crates, ne Moniales abſque debita licentia clamdeſtine Sæculares, vel Regulares alloquantur*.

XIII. *An Prior Prouincialis, vel eius P. Vicarius dd. Monaſteriorum, aut alius quicumque Religioſus abſque licentia Epiſcopi poſſit in Confeſſionario extraordinario ſedere, ibique Monialium Confeſſiones excipere*.

XIV. *An in confeſſionario ordinario, vel extraordinario poſſit eaſdem Moniales exhortari, & audire*.

XV. *An Superior Regularis Veſtibus ſacris indutus, aſſociando Puellam Habitu Ordinis initiandam, abſque licentia Epiſcopi poſſit in Atrio Clauſuræ, (quod omnibus patet) ingredi, ibique Puellæ benedictionem dare, an verò ſiſtere debeat in via publica ante Ianuam clauſuræ exterieris*, & quatenùs affirmatiuè ad primam partem.

XVI. *An hoc idem in habitu Ordinis agere poſſit in ingreſſu, & egreſſu Puellæ tam Educandæ, quam Ancillæ*.

XVII. *An ſaluo Iure Epiſcopi, vna ſimul cum Superiore Regulari reuidendi computa dd. Monaſteriorum, poſſit Superior Regularis abſque licentia Epiſcopi locutorio intereſſe tempore quo à Factore (qui Procurator nuncupatur) eorum Monialibus deputatis menſatim recitantur computa in libro maiori reportanda*.

XVIII. *An in quibuſcumque contractibus tam actiuis, quam paſſiuis, per Notarium in locutorio rogandis (ſaluo iure Epiſcopi tribuendi licentiam pro rogatione eorundem) poſſit Superior Regularis intereſſe eiſdem contractibus abſq; licentia Epiſcopi*.

XIX. *An in abſentia Superioris Regularis Confeſſarius remaneat Vicarius dd. Monaſteriorum*.

1 **Eme, & Rme Dne.** IN Ciuitate Lycienſi duo adſunt Monaſteria Monialium ſub Regula S. Dominici, & tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus ſubjecta curæ, ac gubernio RR. Patrum inclyti Ordinis Prædicatorum, alterum nempe ſub titulo Natiuitatis Beatiſſimæ Virginis nuncupat. *la Noua* fundatum anno 1470., prout habetur ex Hiſtoria inſcripta = *Lecce Sacra* = & typis impreſſa in eadem Ciuitate Lycien. anno 1634.; Alterum verò ſub titulo Viſitationis eiuſdem Beatiſſimæ Virginis nuncupat. = *li Chetri* = erectum anno 1505., vti proſequitur eadem Hiſtoria, ac de omnimoda vtriuſque Monaſte-

naſterij ſubiectione PP. Prædicatoribus conſtat etiam ex Synodo Diœcæſana celebrata die 20. Maij 1663. ſub Epiſcopo Aloyſio Pappacoda, de qua in *Summar. num. primo*, & concorditer deponunt Moniales prouectæ ætatis etiam ex aliarum dicto, ac de tempore immemorabili *Summ. n.2. §.1.*

2 Eiuſmodi Monaſteria fuerunt annis ſingulis viſitata à P. Prouinciali Ordinis Prædicatorum Prouinciæ S. Thomæ de Apulia tam quoad Viſitationem perſonalem, quàm reſpectu viſitationis localis ad formam Conſtitutionum Apoſtolicarum, ingrediendo Clauſuram abſque vlla Lycienſis Epiſcopi licentia, ſecumque ducendo Pat. Priorem Conuentus S. Ioannis de Aymo, vtpote qui eſt vnus ex præclarioribus Religioſis Prouinciæ, cum Conuentus Lycienſis ſit Conuentus ſtudij Generalis, ac primus in Prouincia, eiuſque Prior pro tempore tum ex definitione Capituli Generalis, tum etiam à Pat. Prouinciali conſtitutus eſt Vicarius eorundem Monaſteriorum, vti perſpici poteſt ex vnanimi Monialium depoſitione *Summar. d. num.2. §.5.*, & ex jurata anteceſſorum Prouincialium atteſtatione *Summ. n.3., & 4.*

3 Eiuſdem autem Pat. Vicarij juriſdictio, quoad antedicta Monaſteria (omiſſis alijs ad rem noſtram non pertinentibus) ea vel ab immemorabili tempore fuit, vt auctoritate proprij Officij, & abſque vlla Epiſcopi licentia intret Collocutorium, vbi adſunt Crates, idque vt inuigilet, an ij, qui cum Monialibus ibi colloquuntur, debitam obtinuerint facultatem, atque etiam vt agat de rebus ad rectam Monaſterij adminiſtrationem ſpectantibus, interſitque redditioni rationis, quæ ſingulis menſibus fieri ſolet in eodem Collocutorio à Factoribus, qui in ea Ciuitate Procuratores appellantur, coram Monialibus deputatis, conferendo inter ſe rationes dati, & expenſi, dein conferendas in librum Magiſtrum ad formam Reſcripti S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium in *vna Lycien. 17. Martij 1628. relat. per Nicolium in Compend. Monial. verb. Conti.*

4 Rurſus idem Pat. Prior Collocutorium adit, vt interſit ſtipulationi contractuum, qui poſt obtentam Reuerendiſſimi Epiſcopi facultatem à Notarijs rogantur, idque facit, vt procul arceat complura abſurda, & confuſiones, quæ veroſimiliter orirentur, tum quoad Teſtes, qui eiuſmodi contractibus adhiberi debent, tum etiam quoad fraudes, & colluſiones, quæ in perniciem Monaſteriorum admitti facilè poſſent, vtque demum aſſiſtat in Atrio Clauſuræ, quod omnibus patet, tunc cum aperienda eſt Janua ad Puellarum ingreſſum, quæ vel educationis gratia, vel ad ſuſcipiendum regularem habitum,

 vel

vel in Monaſterij famulatum introducuntur, quemadmodum latiùs conſtat ex *Summ. n.2. §.8. ad fin.*

5 Huiuſmodi methodum hæc duo Monaſteria ab ipſa ſui fundatione hactenus ſeruarunt tam quoad Superiores Regulares, quàm quoad regimen ſpirituale. Quod verò attinet ad æconomicum illorum ſtatum, mos antiquiſſimus fuit, vt Magiſtratus Lycienſis deputaret Nobilem aliquem Virum laicum, qui dicebatur Æconomus omnium Monaſteriorum ipſius Ciuitatis, quique vnà cum Superiore Regulari præſidebat adminiſtrationi temporali, imò idem Magiſtratus penes ſe retinebat etiam Claues *Summar. num.2. §. 1., & 2.*, & habetur etiam ex *Nicol. in Floſcul. verb. Clauſura n.7.*

6 Verùm bon. mem. Epiſcopus Scipio Spina, qui Cathedram Lycienſem rexit ab anno 1591, ad annum vſque 1639., teſte *Vghellio in ſua Italia Sacra verb. Lupienſes, ſeu Lycienſes Epiſcopi tom.9. pag.86. num.43.*, ægrè ferens, quòd perſonæ laicæ ſe ſe immiſcerent regimini, & adminiſtrationi Monaſteriorum Monialium, confugit anno 1600. ad Sacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium, remoueri petens Vniuerſitatem à facultate recognoſcendi computa Monaſteriorum, obtinuitque die 9. Ianuarij 1601. reſcriptum relatum ab eodem *Nicol. in Floſcul. verb. Magiſtratus n.2.*, ibi = *Magiſtratus Secularis non debet ſe ingerere in reuidendis computis, vel alio Monaſteriorum regimine* = poſteà verò die 4. Iunij eiuſdem anni 1601. alterum obtinuit Reſcriptum, quo declaratum fuit, Claues Monaſteriorum non eſſe retinendas à Magiſtratu ſeculari, ſiuè eius Syndico, vel alia perſona laica, niſi in defectum Eccleſiaſticorum, prout benè refert *Nicol. verb. Clauſura num.7.*

7 Et licèt executio huiuſce declarationis retardata fuerit per plures annos ob Vniuerſitatis fortaſsè contradictionem, attamèn renouato ab eodem Epiſcopo Spina recurſu ad antedictam Sac. Epiſcoporum Congregationem, *hæc die 7. Ianuarii* 1611. literas dedit ad Archiepiſcopum Hydruntinum in hæc, quæ ſequuntur verba = *Si ſcriſſe al Veſcouo di Lecce, che doueſſe aſtringere i Sindici delli Monaſterj di Monache, & altri Officiali laici della ſua Città, e Dioceſi à far conſegnare le Chiaui della Clauſura di detti Monaſterj, poiche come hà riſoluto altre volte queſta Sagra Congregazione, le Chiaui ſi deuono tenere dall'Ordinario, ò da chi egli deputerà. E per non auere detto Veſcouo eſeguito detto ordine, ſi è riſoluto, che ſi ſcriua a V. S., che proceda nel modo, e forma, che biſognerà, dandoſele con queſta ogni facoltà opportuna. Non mancherà dunque di vſarci ogni diligenza* = vt patet ex *Regeſtro literarum pag.3.*

8 Qua-

8 Quapropter, ablatis Vniuerſitati Lycienſi Clauibus Monaſteriorum, eiſque traditis Epiſcopo, iſte deputauit tot Sacerdotes ſeculares pro earum cuſtodia, quot ſunt Monaſteria Monialium, quamuis Regularibus ſubiecta, tametſi quoad iſta tradi debuiſſent Claues Superiori Regulari, vtpotè qui Vices gerit Ordinarij, de quo loquuntur Sacræ Congregationis literæ proximè recenſitæ, & cuilibet cuſtodi ex Presbyteris ſecularibus conſtitutum fuit annuum emolumentum ducatorum 12, quando priùs nihil in hanc cauſam ſoluebatur, vti referunt Moniales *in d. Summ. n.2. §.4.*

9 Ob huiuſmodi nouitatem æconomicus Monaſteriorum ſtatus ad annum vſque 1690. ſtetit ſub adminiſtratione Factoris, ſeu Procuratoris laici, cuius officium ad hæc vſque noſtra tempora fuit exigere annuos redditus, eoſque erogare in emptionem Frumenti, Olei, Lignorum, aliarumque rerum ad quotidianam Monialium ſuſtentationem neceſſariarum, ſoluere ſalaria Medico, Chirurgo, alijſque opificibus debita, tradere in ſingulos menſes certam pecuniarum quantitatem Moniali nuncupat. *Borſaria*, curam habenti quotidianæ alimoniæ, recitare ſingulis paritèr menſibus coràm Monialibus Diſcretis, & Vicario Monaſteriorum, eoque abſente, coràm Pat. Confeſſario partitas introitus, & exitus, deindè in librum magiſtrum referendas, tandemque intereſſe ſtipulationibus contractuum, qui à Monaſterijs celebrantur, idque duntaxàt, vt numerare pecunias poſſet, ſicuti de facto, ac viſu proprio teſtantur Moniales in *Summ. n.2. §.3.*

10 Sed vix ad Cathedram Lycienſem euectus fuit bo. me. Fabritius Pignatellus, cum turbari cæpit quies Superiorum Conuentus, & Prouinciæ, tùm quia Moniales noſtrorum Monaſteriorum excipere detrectarunt nouum Epiſcopum in eum modum, quo ipſe ingredi volebat Clauſuram, nempè cum Pluuiali, Stola, Baldacchino, & proceſſionaliter cum Cruce, & Cantico *Benedictus*, prout re ipſa ita voluit violenter viſitare *Summar. n.2. §.7.*, tum etiam quia licet mos eſſet antiquiſſimus, & ab immemorabili tempore ſeruatus, vt Reuerendiſſimus Epiſcopus per aliquem ex ſuis domeſticis gratularetur Pat. Prouinciali de felici eius aduentu, vtque iſte poſtmodum adiret Epiſcopum officij gratia, attamen antedictus Epiſcopus Pignatellus contendere cæpit, vt Pat. Prouincialis ipſe per ſe teneretur certiorem facere Epiſcopum de die, & hora, qua viſitatio localis eſſet ineunda, ſimulque deſignare Religioſum cum quo clauſuram ingredi ſtatuerat; cui quidem nouitati i prouiſum ſtatim fuit, vt nempè Pat. Prouincialis denunciaret Prioriſſæ Monaſterij diem, & horam viſitationis faciendæ, vtque iſta certiorem faceret Epiſcopum de die, & hora præſti-

tuta per Cuſtodem Clauſuræ, prout ſeruatum hactenus fuit *Summario num*.2. §.4.

11 Ad hæc quia in noſtris Monaſterijs à Superioribus Regularibus dabantur facultates, aut opificibus neceſſarijs ad ingrediendam clauſuram, aut alijs ad colloquendum cum Monialibus præmemoratus Epiſcopus Pignattellus non modo cenſuit, eiuſmodi facultates primò concedendas à ſemetipſo eſſe, ſed tentauit etiam excludere Superiores Regulares à cumulatiua; in qua à tempore immemorabili reperiebantur, dum Sacerdoti ſeculari deputato ad cuſtodiam Clauium, & Clauſuræ tradidit librum, in quo deſcribi cæperunt antedictæ licentiæ abſque vlla Superioris Regularis notitia, adeò vt ad ſeruandam in hac parte iuriſdictionem, coactus fuerit Superior Regularis ex officio inuigilare, an vlla ex Monialibus cum aliquo collequeretur abſque debitis licentijs, in alioque ſeparato libro deſcribere facultates alijs conceſſas in ſcriptis, eaſque etiam pro re nata oretenùs dare *d. Summario num*. 2. §. 5.

12 Tandemque quum, petente, & inſtante D. Michaele Pignatelli Epiſcopo Anteceſſore D. Fabritij, electi fuiſſent in munere Factoris, ſeu Procuratoris Sacerdotes Seculares eius ſeruitio addicti, cum conſenſu tamen Monialium, ac Superiorum Regularium, quumque deinceps æedem Moniales, vtendo naturali ſuo arbitrio, vellent deputare perſonas laicas ſibi magis probatas, eò peruenit præpotentia eiuſdem Epiſcopi Fabritij Pignatelli, vt non ſolùm electioni laicorum contradixerit, ſed res ità tranſigi debuerit, vt ſcilicet in poſterum huiuſmodi Procuratores eſſe deberent Sacerdotes Seculares *Summario num*.2. §.2., vbi adeſt formula, quæ ſeruatur in huiuſmodi electione, quod nempe cum conſenſu, & approbatione Superiorum noſtri Conuentus ſeliguntur ſex Sacerdotes ſeculares, & ex his ad petitionem Monialium, quæ illos Epiſcopo nominant, vnus ab eo deputatur.

13 Aſt non minores certè fuerunt nouitates à moderno Reuerendiſſimo Epiſcopo excitatæ in ipſo ſui ad Lycienſem Cathedram ingreſſu; Nam præter nouam, inauditamque formulam, quam adhibere contendebat in licentia Concionatorum nimis præiudicialem Patribus Principalibus, illud etiam ſibi ſumebat, quod abſolutio à Cenſuris in electionibus Abbatiſſarum dd. duorum Monaſteriorum ad ipſum ſpectaret, prout etiam interdicere cæpit Superiori Regulari ingreſſum in Atrium Clauſuræ, quod de cætero cuilibet Perſonarum cætui liberè patet, tunc cùm educanda, vel famula ingreditur, vel egreditur.

14 Itemque prohibuit ipſorum Regularium intereſſentiam in Collocutorio, quamuis proprium ibi officium exercere vellent, deberentque ibidem intereſſe quando nimirùm recenſentur

men-

menſtrua computa, & à Notarijs celebrantur Inſtrumenta, atque contractus, quodque grauius eſt, ad impediendum Pat. Prouinciali Viſitationem localem non dubitauit anno 1740. Edictum promulgare, quo ſub pœna excommunicationis maioris ſibimet reſeruatæ vetabatur cuicumque Regulari acceſſus ad Crates, & Collocutorium Monialium, & quamuis in huiuſmodi edicto nulla facta fuerit mentio de Pat. Prouinciali, idem tamen Reuerendiſſimus Epiſcopus oretenùs ſignificandum curauit Prioriſſæ, quod ſub tali edicto continebantur etiam idem Pat. Prouincialis, Vicarius, Confeſſarius, cæterique Officiales Regulares *Summario num. 5.* & re vera cum Pat. Magiſter Fontanella per id tempus Prouincialis acceſſiſſet menſe Martio ad duo illa Monaſteria, vt Sanctam ipſorum viſitationem expleret, noluit Cuſtos Clauſuræ eidem ingreſſum permittere, palam aſſerens ita ſibi à Reuerendiſſimo Epiſcopo fuiſſe imperatum *Summario num. 6.*

15 Nouamque anno inſequenti 1741. idem Epiſcopus excogitauit rationem diuexandi eundem Pat. Prouincialem Fontanella; cum enim iſte obſequij cauſa conueniſſet Reuerendiſſimum Epiſcopum; hic per ſpeciem communicandi poſtmodum cum eo nonnulla ſcitu neceſſaria, perſuaſit eidem, vt viſitationem Monaſteriorum differret, prout Pat. Prouincialis pro bono pacis illam diſtulit; cumque deinde per plures, pluresque dies idem Prouincialis ad Palatium acceſſerit Epiſcopale, ſed Epiſcopi adeundi, alloquendique copia nunquam ei facta fuerit, Sanctam viſitationem explere non potuit, niſi poſt 15. totos dies *Summario num. 7., & 8.*

16 Quocirca cum aliæ ex alijs ab eodem Reuerendiſſimo Epiſcopo excitantur quotidiè controuerſiæ, eædemque amicum in modum componi nequiuerint, per tractatum à Superioribus Ordinis aſſumptum, coacti tandem fuerunt PP. Principales hanc Sacram adire Congregationem, ſubſcriptiſque à Reuerendiſſimo Secretario præinſertis Dubijs, ſpe quidem certa confidimus, ea eſſe in omnibus decidenda fauore Patrum Principalium, prout obſequentiſſimè ſupplicamus.

D V B I V M I.

An Epiſcopus viſitans Clauſuram Monialium Regularibus ſubjectarum ingredi poſſit cum Pluuiale, & Stola.

17 *Dubium* iſtud, cuius diſputationi occaſionem dedit, tùm violenta nouitas bon. me. Fabritij Pignatelli Epiſcopi Anteceſſoris, tùm timor, ne Epiſcopi Succeſſores nouis, & ipſi rebus

ſtudentes, id ipſum attentent, certò certius *negatiuam* exigit *reſponſum*, prout hæc eadem S. Congregatio *die* 29. *Iulij* 1684. *in vna Florentina Iuris viſitandi* ad inſtantiam Patrum Prædicatorum, & Minorum conſulta = *An Archiepiſcopus poſſit ingredi earumdem Monialium* (hoc eſt Regularibus ſubiectarum) *Clauſuram cum Pluuiale, & Stola* = reſpondit ad 111. = *Negatiuè* = prout ita reperitur in regeſtro authographo eiuſdem Sac. Congregationis *lib.*34. *fol.* 233., & exſcriptum legitur *in Bullar. nou. Dominican. tom.*7. *fol.*350.

D V B I V M II.

An Epiſcopo dd. Monaſteriorum Clauſuram viſitare volenti, Moniales teneantur erigere in Eccleſia exteriori, vel interiori Sedem cum Baldacchino, vel ſolummodò ſufficiat illi ſtratum præparare in vtraque Eccleſia.

18 Breuibus nos expedimus ab hoc quoque *Dubio*, quod in ijſdem omnino terminis, inſtante Procuratore Generali Ordinis Minorum de Obſeruantia, propoſitum fuit die 19. Ianuarij 1686. in hac ipſa Sacr. Congregatione, eademque reſpondit = Ad IV. = *Sufficere præparationem ſtrati* = vt *in lib.*36. *Decret.* ipſius Sac. Congregationis *fol.*14. *à terg.*, & refertur tum *in præcitat. Bullar. Dominican. fol.*350., & 351., tum etiam *ab Eminentiſſimo Petra in Conſtit. Apoſtol. tom.*5. *fol.*142., & 143.

D V B I V M III.

An Epiſcopum dictorum Monaſteriorum Clauſuram viſitaturum teneantur Moniales omnes excipere proceſſionalitèr cum Cruce, & Cantico Benedictus.

19 Hoc pariter *Dubium* decidendum eſt fauore Monialium, quemadmodum fuit iam ad earum fauorem deciſum ab hac Sacra Congregatione in præmemorata *Florentina Iuris Viſitandi* in reſponſione *ad IV.*, nec non in altera Cauſa ſuper Dubijs Viſitationis clauſuræ ad inſtantiam Procuratoris Generalis Minorum propoſita vt diximus, 19. *Ianuarij* 1686. *in reſponſ. ad VI.*, prout videre eſt *in d. Bullar. nou. Dominican. Tom.*7. *d. fol.*350., & *ſeq.*, & apud *Eminentiſſimum Petr. loc. proximè citat.*

D V-

An Pat. Prouincialis poſſit ad formam Conſtitutionis Alexan. VII. Clauſuram interiorem viſitare, ſepta Monaſteriorum Monialium ſuæ curæ ſubiectarum ingrediendo, abſque vlla licentia Epiſcopi, & quatenùs affirmatiuè.

20 *Affirmatiuè* reſpondendum omnino eſt ad IV. *Dubium* propter duas Conſtitutiones Apoſtolicas, vnam nempè ſa. me. Gregorij XIII. *la* 28. *Bullar. tom.*2., nec non alteram ſa. me. Alexandri VII. *la* 153. eod. *Bullar. tom.*6.; Nam cum prohibitio ingrediendi ſepta Monaſteriorum facta fuiſſet *à Sac. Concil. Tridentino*, ac renouata à ſa. me. *Pio V.*, nec non à ſa. me. *Gregorio XIII.*, exortum poſtea fuit dubium circa qualitatem Perſonarum, quæ non petunt, nec petere tenentur licentiam vllam ingrediendi clauſuram eorundem Monaſteriorum, & antedictus *Gregorius XIII.* huiuſmodi dubium diſſoluit per nouam Conſtitutionem editam die 23. Decembris 1581. incipien. *Dubijs*, cuius hæc verba ſunt = *Dubijs, quæ emergunt, declarationis remedium expedit adhibere. Cum igitur ſuper eo, quod optima primùm ratione &c. fuit prouiſum, ne cui in poſterùm, niſi in caſibus neceſſarijs, ſepta Monaſteriorum Monialium ingrediendi concederetur licentia, à nonnullis dubitatum fuiſſe ſciamus circà perſonas, quæ alterius ad id licentia non indigent, ſed ſui Auctoritate officij nituntur; An liceat eis pro libito ſuæ voluntatis huiuſmodi ſepta ingredi, vel potiùs ſeruare debeant ipſi quoquè regulam à Concilio præſcriptam. Nos omnem hæſitationis materiam tollere, & viam ſcandalis præcidere, ac Sanctimonialium quieti conſulere volentes, harum tenore, auctoritate Apoſtolica, declaramus, PRÆLATOS OMNES TAM SECVLARES, QVAM REGVLARES, quibus cura, & regimen Monaſteriorum Monialium quouis modo incumbit, facultate ſibi ex officio attributa ingrediendi Monaſteria prædicta, ità demùm vti poſſe, ſi id faciant in caſibus neceſſarijs, & à paucis, iiſque Senioribus, ac Religioſis perſonis comitati &c.* quæ quidem Conſtitutio impreſſa quoque reperitur *in nou. Bullar. Domenicano tom.*7. *pag.*193.

21 Quoniam verò nonnulli Superiores Regulares prætextu neceſſitatis frequenter ingrediebantur clauſuram Monialium ſibi ſubiectarum, idcircò hæc Sacra Congregatio anno 1651., & anno 1655. in *Taurinen.*, & in *Pennen.* reſpondit, neque ipſos Superiores Regulares ingredi poſſe in Monaſterium Monialium ſibi ſubiectarum ſine licentia Epiſcopi in ſcriptis, vti videre licet apud *Nicol. in Floſcul. verb. clauſura num.*12.

22 Vt autem omnis hac in re dubietas ſubmoueretur, vtque deinceps certò conſtaret, nouam hanc, & recentem prohibitionem, prout talem appellat *Nicolius d. verb. clauſura num. 12.*, loqui de ingreſſu in caſibus tantùm minùs neceſſariis, non autem ex cauſa annalis Viſitationis, proinde ſan. mem. *Alexander VII.* anno 1664. generalem edidit Conſtitutionem his, quæ ſequuntur verbis = *Fælici Sacrarum Virginum ſtatui &c. conſulere volentes &c. præſentibus perpetuò valituris ſancimus, vt inpoſterum intra fines Italiæ., & Inſularum adiacentium Generalibus, Prouincialibus, Abbatibus, & quibuſcuclque aliis Superioribus Regularibus, quibus alioqui cura, & regimen Monaſteriorum Sanctimonialium quouis modo incumbit, intra ſepta eorundem Monaſteriorum nullatenus ingredi liceat niſi ex cauſa Viſitationis localis, & hoc ſemel tantùm in anno &c.* ſicuti perſpici poteſt ex dicta Conſtitutione 153. §. 1. *ſan. mem. Alexand. VII. Bullar. tom. 6.*

23 Hanc verò Superiorum Regularium facultatem ingrediendi ſemel in anno ex cauſa Viſitationis localis clauſuram Monialium ipſis ſubiectarum intelligendam eſſe independenter à quacumque Epiſcoporum licentia, perſpicuè demonſtrat eadem Alexandrina Conſtitutio non ſolùm hoc ipſo, quod eiuſmodi licentiam hac in parte nullimodò præſcribit, verùm etiam quia in altera inferiori parte conſiderans Summus Pontifex ob alias vrgentes, & neceſſarias cauſas Superiorem Regularem ſæpiùs in eodem anno ingredi debere clauſuram, tunc non aliter ingredi poſſe decernit, quàm cum præſentia Epiſcopi, vel alterius Perſonæ Eccleſiaſticæ Secularis ab ipſo Epiſcopo deputatæ, vti liquidò patet ex illis eiuſdem Conſtitutionis verbis §. 2. = *Quòd ſi ob clauſuram, quæ à Sancta Tridentina Synodo, etiam in Monaſteriis exemptis, curæ, & vigilantiæ Epiſcopi in primis committitur, aut ob aliam vrgentem, ac neceſſariam cauſam oportuerit Superiorem Regularem eodem anno pluriès ingredi ſepta Monaſterii, tunc non aliter ingrediatur, quàm cum præſentia Epiſcopi Diœceſani, vel alterius Perſonæ Eccleſiaſticæ Secularis boni exempli, ac maturæ ætatis ab ipſo Epiſcopo ad hoc ſpecialiter deputatæ.*

24 Ad normam huiuſce Alexandrinæ Conſtitutionis vſu receptum conſtantiſſimè fuit, vt Superiores Regulares in omnibus Mundi Catholici partibus, vbi adſunt Monaſteria Monialium Regularibus ſubiectarum, ſemel in annos ſingulos ex cauſa Viſitationis localis illarum clauſuram ingrediantur ſine vlla prorſus Epiſcopi licentia; quæ quidem vetuſtiſſima obſeruantia religioſiſſimè cuſtodienda eſt, tùm quia conformis eſt, & conſentanea legi Pontificiæ alioquin clariſſimæ, tùm etiam quia ſi qua dubietas in ea ineſſet, eadem ſublata penitùs remanſiſſet

ex

ex tali conſtantiſſima obſeruantia iuxta rotundos *Text. in leg. Minimè 23.*; *leg. ſi de interpretatione 37.*, *& leg. ſeq. ff. de legib.*, *Rot. cor. Emer. Iun. dec. 24.*, *& dec. 1342. vtrobique nu. 8.*, *coram Molin. dec. 280. num. 10. tom. 1.*, *& deciſ. 417. num. 16, to. 2.* & paſſim alibi.

DVBIVM V.

An Epiſcopus ſaltem debeat certiorari de die, & hora talis Viſitationis, & à quo.

25 *Negatiuè* reſpondendum eſſe videtur, quia præmemorata Conſtitutio Alexandrina, quæ in ſubiecta materia legem ſtatuit inuiolabilem, non iam præcipit admonendum eſſe Epiſcopum, ſed Abbatiſſam de præſtituta die, & hora Viſitationis, ibi = *ideoque curet Viſitator, vt tempeſtiuè admoneatur Abbatiſſa, ſeu Monaſterii Præfecta de præſtituta die, & hora Viſitationis* = vt in dicta Conſtitutione 153. §. 4. ſan. mem. *Alexandri VII.* Quod ergò lex non dicit, neque nos dicere debemus, ad regulam *Text. in leg. ſi Seruum 71. §. non dixit ff. de acquir. hæredit. leg. 2. §. 1. ff. de Iudic.*, *leg. 20. §. vltim. ff. de euict. cap. 2. de translat. Epiſcop. Rot. cor. Dunozet. Sen. dec. 80. num. 5.*

26 Et meritò lex Pontificia id minimè ſtatuit, quia ſicut Epiſcopus viſitare iure delegato Monaſteria exempta poteſt *inconſultis Superioribus Regularibus*, prout inquiunt *Monacell. formul. legal pract. tom. 1. formul. 3. tit. 1. num. 9.*, ita etiam Superior Regularis viſitare valet, inconſultò Epiſcopo, Monaſteria ſibi ſubiecta, tùm quia vigore Conſtitutionis Alexandrinæ, aliarumque præcedentium habet iuriſdictionem ordinariam in Moniales ſibi ſubiectas, vti teſtatur *Pellizar. de Monialib. cap. 10. n. 35.*, *& n. 66.*, tùm etiam quia Epiſcoporum Iuriſdictio in Monaſteria exempta in pertinentibus ad clauſuram non eſt priuatiuà, ſed cumulatiua, quemadmodùm definiuit hæc Sac. Congregatio in vna *Foſſanen. 31. Auguſti 1658. relat. à Nicol. in Floſc. verb. clauſura nu. 12. in fin.* verbis illis = *Quod autem dictum eſt, pertinentia ad clauſuram etiam in Monaſteriis Regularibus ſubiectis ſpectare ad Ordinarium, intelligitur cumulatiuè quoad Superiores Regulares, non autem priuatiuè Foſſanen. &c.* ob quam ſanè cumulatiuam Iuriſdictionem datur locus preuentioni, cum ipſa iuriſdictio cumulatiua pluribus competat inſolidùm eademque ſit, ac præferatur, qui præoccupauit *Donat. prax. Regular. tom. primo tract. 10. de diction. priuileg. dict. 1. fol. mihi 76.*, *Couarruu. pract. quæſt. cap. vltim. & Rot. in rec. dec. 254. num. 28. part. 16.*, quæ tamen præuentio verificari nunquam poſſet, ſi Pater Prouincialis ingreſſurus Monaſteria ſibi ſubiecta ex cauſa Viſitationis locales certiorare teneretur Epiſcopum, vt ſenſui patet.

27 Quæ quidem eo certiùs obtinere ...

bo. me. Epiſcopus *Fabritius Pignatelli* in principio ſui Epiſcopatus, qui valdè diuturnus fuit, ſatis habuit, vt Monaſterii viſitandi Prioriſſa per Sacerdotem Secularem Cuſtodem clauſuræ faceret ipſum certiorem de die, & hora Viſitationis Localis à Superiore Regulari faciendæ, prout re ipſa ſeruatum ita ſemper fuit *Summ. num.* 2. §. 4.

28 Quod ſi eiuſcemodi certioratio exaduerſo requiratur, vt Reuerendiſſimus Epiſcopus communicare poſſit cum Superiore Regulari res notatu dignas pro Viſitatione locali, ſtatim facilè reſpondetur, ipſummet Epiſcopum, vel eius Vicarium Generalem, ingrediendo clauſuram opportunum afferre poſſe malis omnibus remedium. Præterquam quod ſi quid Epiſcopus ſignificare cupiat Patri Prouinciali, id quidem facere commodè poteſt, tunc cum idem Prouincialis officii cauſa adit Reuerendiſſimum Epiſcopum acturus eidem gratias, quod ſibi de bono in Vrbem Lycienſem aduentu, iuxta morem antecedentium Epiſcoporum, per Cubicularium gratulari dignatur.

29 Eòque minùs audienda eſſe videtur excuſatio iſthæc; alioquin conſequi facilè poſſet id, quod anno proximo ſuperiore contigit P. Prouinciali Dominico Fontanellæ, cui cum Reuerendiſſimus Epiſcopus differendam ſuaſiſſet Viſitationem Monaſteriorum ob res quaſdam ipſi neceſſariò communicandas, copiam ſui adeundi poſtmodum eidem Prouinciali non fecit niſi poſt tres decim totos dies, & Viſitatio fieri non potuit niſi poſt dies quindecim in graue præiudicium Conuentus S. Ioannis de Aymo Lycienſis, nec non totius Prouinciæ, quæ ob iacturam longioris temporis in Lycienſi Ciuitate factam non potuit à ſuo Prouinciali commodè viſitari, vt in *Summ. num.* 7., & 8.

DVBIVM VI.

An Prior Prouincialis pro Viſitatione Clauſuræ interioris poſſit in Conuiſitatorem aſſumere P. Vicarium earundem Monialium, vel quemlibet alium Patrem ſui Ordinis maturæ ætatis abſque licentia Epiſcopi, vel eius certioratione.

30 *Affirmatiuè* reſoluendum eſt VI. *Dubium* ob expreſſam literam totiès citatæ Conſtitutionis Alexandrinæ §. 3., vbi ita cauetur = *Porrò ſi viſitet Generalis, poſſit ſecum habere duos Socios ſui Ordinis, ſi alius à Generali, vnum tantùm, excluſis omnibus aliis etiam ratione officii; Qui quidem Socii aſſumantur exemplares, & maturæ ætatis* = ergo quoties Superior Regularis Apoſtolicam explet Viſitationem, toties non requiritur licen-

centia vlla, vel certioratio Epiſcopi, & quidem non tam pro ſe ipſo, quàm pro eius Socio Conuiſitatore; Nam cum per verbum illud *aſſumantur* oneretur conſcientia Superioris Regularis in eligendis Conuiſitatoribus exemplaribus, ac maturæ ætatis, nec mentio vlla fiat de Epiſcopo, hinc neceſſariò ſequitur, antedictam Alexandrinam Conſtitutionem noluiſſe, vt Superior Regularis ab Epiſcopi arbitrio pendere deberet quoad Regularium Conuiſitatorum electionem iuxta immotum illud Iuris noſtri principium ſuprafirmatum in §. 25.

13 Nec verò dubitari poteſt, quin Vicarius noſtrarum Monialium aſſumi poſſit à Patre Prouinciali in ſuum Conuiſitatorem, quia cum ad formam laudatæ Conſtitutionis Alexandrinæ aſſumendi in Socios ſint Patres exemplares, ac maturæ ætatis, certè quidem talis eſt idem Vicarius, qui iuxta generalem Ordinis legem ſemper eſt Prior Conuentus S. Ioannis de Aymo. Qui enim eiuſmodi qualitatibus prædittus non eſt, non poteſt eſſe Prior Conuentus, in quo viget Studium Generale Religionis, prout viget, maximèque floret in antedicto Lycienſi Conuentu S. Ioannis de Aymo, vno ex primoribus, ſeu veriùs primo omnium Conuentuum non modò ipſius Ciuitatis, verùm etiam totius Prouinciæ, vt proindè etiam illius Prior ſit vnus ex præclarioribus Magiſtris illius vaſtiſſimæ Prouinciæ; ex quo etiam fit, vt in caſu abſentiæ memorati Vicarii non deſint alii Patres exemplares, graues, maturæque ætatis, qui ex numeroſo illo Conuentu aſſumi in Socios poſſint.

32 Atquæ hæc affirmatiua præſentis Dubii reſolutio eo magis redditur indubitata ex altera Alexandrinæ Conſtitutionis parte, vbi, ſi Superior Regularis ingredi velit clauſuram ex aliis vrgentibus, ac neceſſariis cauſis, diſertiſſimè ſtatuitur, *vt non aliter ingrediatur, quàm cum præſentia Epiſcopi Diœceſani, vel alterius perſonæ Eccleſiaſticæ Secularis*; = in hoc quippe caſu, vbi non agitur de Viſitatione Apoſtolica ſemel tantùm in anno facienda, per apertiſſimam diſcretiuam nominatur Epiſcopus, & non ampliùs demandatur electio Conuiſitatoris Religioſi, ſed perſonæ Eccleſiaſticæ Secularis, ideoque Summus Pontifex dilucidè oſtendit, quod in altero Viſitationis Apoſtolicæ caſu, Epiſcopus ſeſe immiſcere nullo pacto poſſet, prout expendendo virtutem diſcretiuæ, optimè arguunt *Piton. diſcept. Eccleſ. 103. num. 19. tom. 4., Rot. in recen. deciſ. 36. num. 11 part. 16. cor. Emer. Iun. dec. 1106. num. 9.* cum aliis in *Romana Præpoſituræ 4. Aprilis 1729. §. Quodque re vera coram Rmo Aldrouando.*

CA-

An idem Pat. Prouincialis viſitationem perſonalem Monialium Monaſteriorum exemptorum ſui Ordinis valeat facere ad Crates tantùm?

33 *Dubium* iſtud ſubſcriptum fuit ad inſtantiam Reuerendiſſimi Epiſcopi Lycienſis, quaſi verò Patres Prouinciales Dominicani facere ſoleant viſitationem perſonalem in noſtris Monaſterijs alibi, quàm ad Crates. Quare licèt ijdem Patres probè ſciant diſpoſitionem Conſtitutionis Alexandrinæ in hæc verba loquentis = *Viſitatio vero perſonaliter fiat ad Crates, & omninò extrà clauſuram Monaſterij, & per ipſummet Superiorem duntaxàt, at ſuprà dictum eſt de Viſitatione interioris clauſuræ* =, & ad normam huiuſce Conſtitutionis ſe ſe retroactis temporibus continuerint, ac inpoſterum etiam ſeſe ità facturos eſſe profiteantur, coguntur tamen referre factum duobus ab hinc annis ſecutum, quod huiuſce *Dubii* diſputationi cauſam dedit.

34 Anno 1740. menſe Ianuario Pater Magiſter Fontanella Prouincialis ſeſe Lycium contulit, vt duo Monaſteria Monialium Ordini ſuo ſubiectarum viſitaret; Quoniam verò die 11. eiuſdem menſis viſitare cæpit nulla petita ab Epiſcopo licentia Communicatorium, Confeſſionale, ac Rotam in Eccleſia exteriori, & quum ad Crates perueniſſet, denunciauit Viſitationem perſonalem ſuarum Religioſarum poſtridiè inchoandam; idem Reuerendiſſimus Epiſcopus die immediatè ſequenti affigendum curauit eiuſdem Monaſterij Cratibus Edictum, quo Regulares omnes cuiuſuis Ordinis, ſtatus, gradus, dignitatis, & conditionis ab acceſſu ad eaſdem Crates prohibebantur ſub pæna excommunicationis maioris ipſi Epiſcopo reſeruatæ, nec excepit Superiorem, Viſitatorem, Confeſſarium, prout facere tenebatur, vt in *Summ. n.5.*

35 Quo circà memoratus Pater Prouincialis ſatiùs duxit non accedere ad Crates; tantoque magis, quòd Cuſtos clauſuræ vnius ex noſtris Monaſterijs iuſſu Vicarij Generalis admonuit Prioriſſam de comprehenſione PP. Prouincialis, Prioris, & Confeſſarij ſub antedicta generali prohibitione, quos proindè in caſu contrauentionis excommunicatos declaraſſet. Quapropter Pater Prouincialis ad euitanda ſcandala ex tali Edicto, miniſque oritura, noluit facere viſitationem ad crates, ſed illam inchoauit ad Communicatorium in Eccleſia cum debita diſtantia in conſpectu, ac ſub oculis Patr. Confeſſarij, ſuique Socij Conuerſi, vti liquidò patet ex *Summ. n.9.*

36 Hæc eſt genuina ſeries facti, cuius ſimile quum nunquam anteà

con-

contigerit, idcircò Viſitatio perſonalis nunquèm facta fuit ad Communicatorium, ſed ſemper ad Crates. Supereſt igitur in hiſce circumſtantijs examinandum.

DVBIVM VIII.

An idem Prior Prouincialis ab Epiſcopo impeditus, nè talem Viſitationem ad Crates faciat, eandem facere poſſit ad Confeſſionale, vel ad Feneſtrellam Sanctiſſimæ Communionis.

37 Cum Superior Regularis in Monialium Monaſterijs ſibi ſubiectis iuriſdictionem habeat ordinariam, & ex ſui muneris officio viſitare illas debeat, vt Pecoris ſui vultum agnoſcat iuxta ſuperioribus locis firmata, nemo non videt, quod, ſi ab Epiſcopo iniuſte impediatur ab explenda tali Viſitatione in eo loco, in quo regularitèr fieri ſolet, facere illam poterit in eo loco, ad quem liber ſit acceſſus, modò ſit extrà Clauſuram; Etenim Conſtitutio Alexandrina ſub §. 4. *ad fin.* præcipit quidem, Viſitationem perſonalem faciendam eſſe ad Crates, ſed nullam adijcit dictionem taxatiuam, ſolùmque diſtrictè mandat fieri extrà Clauſuram ibi = *Et omninò extrà Clauſuram Monaſterii* =, ex quibus planè verbis luculentèr apparet, præcitatam *Alexandri VII.* Conſtitutionem eò potiſſimum reſpicere, vt Viſitatio perſonalis regularitèr fiat ad Crates, ſed fieri poſſit in aliquo caſu etiàm alibi, dummodò omninò fiat extrà clauſuram Monaſterij, prout in noſtra hypotheſi factum fuit. Et profectò mirabile prorsùs videtur, quòd Curia Eccleſiaſtica Lycienſis improperare auſit Patr. Prouinciali defectum, cuius eadem Auctrix fuit, & cauſa.

DVBIVM IX.

An eandem Viſitationem alibi faciens, veluti ad Confeſſionale, vel ad Feneſtrellam Sanctiſſimæ Communionis incidat in pænas relatæ Conſtitutionis Alexandri VII.

38 Si totiès recenſita Conſtitutio Alexandrina diſertè non præciperet Viſitationem perſonalem faciendam eſſe ad Crates, profectò in duobus Monaſterijs, de quibus hodiè agitur, magis expedire videretur, vt illa fieret, ſi non ad Communicatorium, & certè ad Confeſſionale extraordinarium, ob eam nempè rationem, quòd, cum Crates ſint in eorundem Monaſteriorum Collocutorijs, vbi admodùm contiguæ ſunt etiam Rotæ, ideoque locus ille liberè pateat quibuſcumque Perſonis illùc con-

fluen-

fluentibus prò Religioſis neceſſitatibus victus, veſtitus, aliarumq; rerũ omnium, remanet proindè locus ſatis anguſtus, aſſiduoq; reſonans ſtrepitu *Sum. n. 2. lit. L.* Rursùs cum in hac. Viſitatione ſint aperienda Superiori Regulari interiora non tantùm Monaſterij, ſed etiàm animi proprij, vnuſquiſque recto ſenſu præditus reputare ſecum poterit, quàm grauatè verecundia Religioſa id facere ſubſtineat in loco aperto, in oculis omnium; & in loco confluentium Sermonibus perſtrepenti; præſertim cum Viſitatio ob magnum Religioſarum numerum non ità breui, ſed ſolùm poſt complures dies terminari poſſit. Id quidèm innuiſſe ſufficiat ad iuſtum excogitandum temperamentum, quod in caſu noſtro ſumendum omninò eſſe videretur. Quià verò tàm præteriti Superiores Regulares, quàm Religioſæ hactenùs non reclamarent ab hoc grauiſſimo incommodo, idcircò PP. Principales profitentur ſe Viſitationem perſonalem non alibi facturos, ſuorumque Anteceſſorum veſtigia ſecuturos.

39 Cumque per huiuſmodi Dubium exaduerſo propoſitum contendatur, Patrem Magiſtrum Fontanellam incidiſſe in pænam excommunicationis, aliaſque ab Alexandrina Conſtitutione preſcriptas, iudicium erit Eminentiſſimorum Patrum, an idem Prouincialis incidiſſe dici debeat in antedictas pænas, quando explorati, indubitatique Iuris eſt, quòd ad illas euitandas ſufficit quæcumque probabilis, ac etiàm minùs iuſta cauſa, prout ex alijs ſolidè firmant *Sayr. de Cenſur. lib. primo cap. 28. num. primo, Farinacc. in appendic. de Immunit. n. 28., clar. mem. Cardinalis de Luca de Miſcell. Eccleſ. diſc. 12. n. 4., Sperell. dec. 105. n. 10., & 20.*

D V B I V M X.

An Epiſcopus directè, vel indirectè impediens talem Viſitationem incidat in pænas Conſtit. Clementinæ de Stat. Monach.

40 San: mem. *Clemens V.* in Concilio Vienen. generalitèr ſtatuit, vt ſingula Monialium Monaſteria ſingulis annis eſſent viſitanda, ſcilicèt ab Epiſcopis ordinaria auctoritate Monaſteria non exempta; delegata autem Apoſtolica Auctoritate Monaſteria Sedi Apoſtolicę immediatè ſubiecta, alia verò Monaſteria exempta, hoc eſt Ordinum exemptorum, ab alijs Superioribus, quibus ſubeſſent, vti videre licet in *Clementina de Stat. Monach. cap. 2. §. primo* ibi = *Hoc igitur, Sacro approbante Concilio, duximus ſtatuendum, vt ſingula Monialium Monaſteria per Ordinarios, exempta videlicèt, quæ ita Sedi Apoſtolicæ, quòd nulli alii ſubiecta noſcuntur, Apoſtolica, non exempta*

vi-

Digitized by Google

verò ordinaria auctoritate, ac exempta alia per alios, quibus ſubſint, annis ſingulis debeant viſitari.

41 Officium autem Viſitatorum idem Summus Pontifex ſtatim deſcribit hiſce verbis = *Viſitatores autem huiuſmodi ſollicitudinis ſtudium diligentèr impendant, vt Moniales ipſæ [quarum nonnullas dolentes audiuimus in ſubſcriptis excedere] pannis ſericis, variorum ſoderaturis, ſandalitijs comatis, & cornutis crinibus, ſcaccatis, & virgatis caputiolis non vtantur, non choreas &c., eaſque ſolertiùs retrahant ab inſolentijs quibuslibet, & Mundi huius illecebris, ac inducant eaſdem ad imponendum in Monaſterijs ſuis deuotum, & debitum virtutum* Domino *famulatum* = Quod ſi Viſitatores ab exercendo ſuo munere à quoquam impedirentur, impedientes excommunicationis pæna innodatos eſſe declarauit verbis illis = *Si qui verò Viſitatores ipſos in præmiſſis impedire præſumpſerint, ſeù aliquo præmiſſorum [niſi moniti reſipiſcant] ipſo facto excommunicationis Sententiam ſe nouerint incurſuros, priuilegijs quibuslibet in contrarium minimè valituris.*

42 Cum autem Reuerendiſſimus Epiſcopus Lycien. non ſolùm minis, metuque excommunicationis poſt affixum in noſtrorum Monaſteriorum Collocutorijs edictum impedierit Patrem Prouincialem Fontanellam à facienda viſitatione perſonali ad crates, verum etiam prohibuerit ab explenda viſitatione locali clauſuræ per præceptum Cuſtodibus iniunctum, ne portas eiuſdem clauſuræ aperirent, tametſi eorundem Monaſteriorum Prioriſſæ juxtà veterem morem per Cuſtodes certiorem feciſſent Reuerendiſſimum Epiſcopum de viſitatione locali facienda à Patre Prouinciali vna cum Socio *Summario num. 6.*, idcircò à Sacræ huius Congregationis judicio pendebit, an in cenſuras *à citat. Clementin.* inflictas inciderit Reuerendiſſimus Epiſcopus, qui quidem, niſi ſpecialitèr excipiatur, excommunicationis pæna adſtringitur ad tradita per *Suarez. diſput. 5. ſeſſ. 4. num. 5., & Bonaccin. oper. moral. tom. 1. de cenſur. in commun. diſput. 1. quæſt. 1. punct. 4. num. 14.*

43 Quod ſi propter monitionis defectum ſeſe à cenſuris excuſatum dicat Reuerendiſſimus Epiſcopus, laudem certè ab irregulari hac agendi ratione referre non poterit; nam ſi Epiſcopus Pennen. reprehenſus ab hac Sacra Congregatione fuit, eo quod prohibuit, ne Eccleſia Regularibus ſubiecta, quamuis in ea Presbyteri Seculares adeſſent, viſitaretur à Superiore Regulari cumulatiuam habente, prout teſtatur *Criſpin. in ſua viſitat. Paſtoral. par. prima* §. 13. *num. 22.* ibi = *Pennen. Congregatio Concilii cenſuit, Eccleſias Regularibus ſubiectas, in quibus iſti vtuntur Presbyteris Secularibus, etiamſi nullius ſint Diæceſis, viſitari poſſe à viciniore ex cap. 9. ſeſſ. 25. cumulatiuè tamen cum*

Su-

Superiore Regulare; *ideo* *EXCEDERE EPISCOPVM PROHIBENTEM PRÆSTARI OBEDIENTIAM SVPERIORIBVS REGVLARIBVS*, *quibus tales Eccleſiæ ſubiectæ ſunt tanquam membra Monaſterii* =; Quantò magis exceſſiſſe dicendus erit Epiſcopus Lycien.; qui poſt certiorationem ſibi ex ſolito factam de viſitatione locali à Patre Prouinciali facienda prohibuit, ne clauſuræ Cuſtodes illius Portas aperirent, ſicque impediuit, ne Monaſteria Regularibus ſubiecta à ſuo ordinario Superiore viſitarentur?

D V B I V M XI.

An Prior Conuentus S. Ioannis de Aymo Ordinis Prædicatorum Ciuitatis Lycien., *& Vicarius ordinarius dictorum Monaſteriorum abſque licentia Epiſcopi pro ſuo libito locutorium ingredi poſſit*, *ibique cum ſuis Monialibus alloqui*; *an verò ſolummodo quando ſic exigit exacta adminiſtratio ſui officij*?

4 *Dubium* iſtud proponitur, inſtante Reuerendiſſimo Epiſcopo, ad conciliandam huic cauſæ inuidiam, quaſi Priores Conuentus Lycien. pro ſuo libito quotidiè ſtarent ad crates noſtrorum Monaſteriorum, & quaſi iidem Priores neſcirent rigoroſiſſimam prohibitionem factam anno 1592. à Capitulo Generali ſui Ordinis Venetijs celebrato, cuius efficaciſſima verba ſunt hæc = *Ordinamus, ac ſub pœna priuationis omniumgraduum, dignatatum, ſiue officiorum, vocis actiuæ, & paſſiuæ, & carceris per ſemeſtre reſpectiuè præcipimus, ne aliquis audeat ad Monaſteria Monialium accedere, nec cum eiſdem loqui &c. excipientes ab hac lege Superiores, Viſitatores, & Confeſſores in iis dumtaxat, ſine quibus officium ſuum alitèr exercere non poſſunt &c.* vti percipi poteſt *ex Fontan. de monial. num.9.*

45 Quoniam verò ſolus modernus Superior pauló frequentiùs adiit noſtra Monaſteria, exponenda Eminentiſſimis Patribus eſt huiuſce acceſſus occaſio. Peruenit Vir iſte grauiſſimus Lycium *die* 27. *Martii* 1741., inuenitque duo Monialium Monaſteria Ordini ſuo ſubiecta in ſummis rei familiaris anguſtiis, ingentique ære alieno preſſa, idque potiſſimùm ob defectum ſtipulationum à Reuerendiſſimo Epiſcopo prohibitarum, prout infra dicetur *in Dubio XVIII.* Quare neceſſe omnino habuit, ſæpiùs colloqui cum Monialibus Senioribus, vt inſtrui accuratè poſſet de æconomico Monaſteriorum ſtatu, & ſæpius conſultare debuit ad excogitandum Religioſis Monaſteriorum neceſſi-

ceſſitatibus remedium. Rurſus idem Prior in feruore præſentis cauſæ, quam cum Reuerendiſſimo Epiſcopo componere fruſtrà tentauit, coactus fuit ſæpenumero adire noſtra Monaſteria, vt certior fieret, quomodo ſeſe res anteà habuiſſent, vtque ſibi traderentur ſcripturæ in eorum Archiuiis exiſtentes, & hac de re tractantes. Idque factum fuit à menſe Majo Superioris anni 1741. vſque ad menſem Octobris eiuſdem anni, quo Pater Prior Romam venit.

45 Præter hanc autem neceſſitatem adeundi Monaſteria eo nunquam acceſſit; nam cum Reuerendiſſimus Epiſcopus dederit eidem moderno Patri Priori facultatem audiendi confeſſiones iſte non ſolùm in omnibus feſtis, ſed & in alijs hebdomadæ diebus aſſiduò permanſit in confeſſionali, nec vnquam abfuit à Choro, vel Refectorio, niſi rariſſimò, hoc eſt tunc cum Romam hac ipſa de cauſa ſcribendum erat, & neceſſaria documenta transmittere oportebat, *vt in Summ. num.* 10.

47 Hęc de prima huius *Dubii* parte. Quod verò attinet ad ſecundam, in primis ſeſe nobis offert Bulla ſan. mem. *Gregorii IX.* ſub die 23. Octobris 1232., quæ refertur *in Bullar. nou. Dominican. tom* 7. *pag.* 412. quæque confirmat regulam vniuerſam à Sancto Patriarcha Dominico præſcriptam Ordinis ſui Monialibus in hæc verba = *Prioriſſa tamen, & tres Celerariæ cum Priore, ac Celerarijs exterioribus, de neceſſitatibus, & vtilitatibus ſuæ Domus, ſupradictis Teſtibus præſentibus, loqui poterunt* =. Rurſus id fieri poſſe ſine licentia Epiſcopi complures permittunt Conſtitutiones Pontificiæ, Edicta, & Decreta generalia Sac. Congregationum, tum Concilij, tum Epiſcoporum, ac Regularium. Et ſanè anno 1592. *die* 7. *Maii* Sac. Congregatio Epiſcoporum *de ſpeciali, & expreſſo mandato Sanctiſſimi D. Xyſti Diuina Prouidentia Papæ V. viuæ vocis oraculo ei facto, decreuit, & mandauit, nulli poſthac Religioſo, cuiuſcumque Ordinis, gradus, qualitatis, & dignitatis exiſtat* [*Superiore, cui Monaſterii, ſeu Domus cura incumbit, Viſitatore; vel Viſitatoribus, Confeſſarioque ordinario, & extraordinario, cum ad tempus deputabitur, dumtaxat exceptis*] *licere abſque licentia expreſſa eiuſdem Sac. Congregationis accedere ad Monaſteria, ſeu Domos quarumcumque Monialium, vel Sororum, ſiue ſui, ſiue alterius cuiuſuis Ordinis ad colloquendum, ſiue tractandum cum eis* = Quæ quidem reſolutio integrè tranſcribitur *in d. Bullar. nou. Dominican. tom.* 7. *pag.* 212.

48 Atque idipſum ſæpe ſæpiùs eadem Congregatio confirmauit, quod nempè Regularibus prohibetur *acceſſus ad Monaſteria etiam ab ipſis gubernata, exceptis Confeſſario, Cappellano, Superiore, & Viſitatoribus* = *vt in Ariminen., in Peruſina, Comen., Ferrarien., Vercellen., & Brixien.* relatis à *Nicol. in*

Flo-

Digitized by Google

*Floſcul. verb. Monaſterium num.*15. Et Sac. Congregatio Concilii in vna *Hieracen.* 26. *Ianuarii* 1692. *in XIII. Dub.* = *An deputatus à Superiore Regulari pro gubernio Monaſteriorum Monialium ſibi ſubiectarum poſſit abſque licentia Epiſcopi accedere ad dicta Monaſteria, & licentiæ alloquendi ab vtroque dari debeant?* = reſpondit *ad XIII. affirmatiuè.*

49 Id quod ſtatuit etiam Summus Pontifex *Clemens VIII.* in ſuo generali Edicto pro Monialibus edito anno 1600., prout refert *Fontan. verb. Moniales num.*9., *& num.*12., & clariùs etiam confirmauit *ſan. mem. Vrbanus VIII.* 13. *Kalendas Decembris* 1623.

D V B I V M XII.

An idem Pater Vicarius abſque licentia Epiſcopi Locutorium ingredi poſſit ad viſitandas Crates, ne Moniales abſque debita licentia clandeſtinè Seculares, vel Regulares alloquantur.

50 *Affirmatiuè* reſpondendum omninò eſt, quia ſi præcipuum Superioris Regularis munus quoad ſuas Moniales illud eſſe declaratur in totiès memorata Conſtitutione Gregorii IX. ibi = *Tres autem de maturioribus, & Religioſioribus Sororibus feneſtræ Parlatorij præponantur, quibus audientibus, vel ad minus duabus ex ipſis, loquatur illa, cui de PRIORIS, vel Prioriſſæ licentia loqui aliquando indultum fuerit, cum viſum fuerit expedire* = *dicto Bullar. nou. Dominican. tom.* 7. *fol.* 411.; *Si ſan. mem. Clemens VIII.* in aliàs recenſito generali Edicto pro Monialibus ità paritèr ſtatuit = *Superiores omnes in eam curam ſeduló incumbant, vt in omnibus ritè obſeruentur Decreta Sacri Concilii Tridentini, cæteręque Conſtitutiones, quę ad regimen., & Regularem obſeruantiam pertinent &c.* quonam pacto Superior Regularis ſuo ſatisfacere poſſet officio, ſi citrà Epiſcopi licentiam ingredi ſuorum Monaſteriorum collocutoria nequiret, vt ipſe per ſe recognóſceret perſonas cum Monialibus colloquentes, an ſcilicet ſuſpectæ quoquo modo forent, & an debitas haberent licentias?

51 Huc accedit, quod Epiſcopus inuigilare poteſt ſuper collocutoriis Monialium exemptarum, propterea quod, cum Sac. Concilium Tridentinum cuſtodiam clauſuræ principalitèr commiſerit Epiſcopo, commiſiſſe etiam dici debet acceſſum ad collocutoria, & ad alias Monaſteriorum partes, prout benè aduertit *Monacell. formular. legal. practic. tom.* 1. *tit.* 1. *formul.* 3. *num.* 9.; ideoque ad ipſum etiam ſpectat ſubſcribere primùm licentias colloquendi. Ergò ob hanc ipſam rationem etiam

Su-

Superior Regularis inuigilare poterit circa collocutorium, quando ad ipſum etiam pertinet ſubſcribere licentias colloquendi, quemadmodùm, relatis Sac. Congregationum reſolutionibus, obſeruat *Monacell. tom. primo tit.* 11. *formul.* 19. *num.* 7., & 8.

D V B I V M XIII.

An Prior Prouincialis, aut alius quicumque Religioſus, abſque licentia Epiſcopi, poſſit in Confeſſionario extraordinario ſedere, ibique Monialium confeſſiones excipere.

52 Defenſores Reuerendiſſimi Epiſcopi obſtinatiſſimè voluerunt proponi præſens Dubium in eum vnicè finem, vt Reuerendos Principales modis omnibus, ſi fieri poſſit, odioſos reddant huic S. Congregationi. Sed quemadmodùm PP. Principales non ignorant, vetitum id fuiſſe à San. Mem. *Georgio XV.* in ſua conſtitutione incipien. *Inſcrutabili* 28., & à Sac. Congregatione Concilij in reſponſione *ad VII. Dubium*, impreſs. poſt dictam Conſtitutionem Gregorianam, ita id nunquàm facere auſi fuerunt. Quamobrèm, vt contrariam exaduerſo probatum dici poſſet, afferenda eſſet juridica Monialium depoſitio, quod Superiores Regulares, aut alij Patres excepiſſent confeſſiones earundem Monialium ſine Epiſcopi Licentia, quando à PP. Principalibus nunquàm id factum fuiſſe probatur in *Sum. r.* 11.

53 At enim verò Pat. Ludouicus Fringella, & Pat. Antonius Mazzolla in noſtris Monaſterijs audierunt Monialium confeſſiones abſque licentia Epiſcopi. Sed ſciant Eminentiſſimi Patres, id contigiſſe anno 1737., tunc cum Patres Prouinciales vigore Bullæ *Pretioſus* à San. Mem. *Benedicto XIII.* editæ deputabant, approbabantque independentèr ab Epiſcopo Confeſſarios eorumdem Monaſteriorum; Et quandò prodijt à Sa. Me. *Clemente XII.* Bulla *Romanus Pontifex* reuocatoria antedictæ Bullæ *Pretioſus*, jam præmemorati Patres Fringella, & Marzolla erant Confeſſores ordinarij. Vix autèm Lycium prouenit talis reuocationis notitia, quum Eccleſia Lycienſis Curia prohibuit antedictis Confeſſoribus vlterius confeſſionum exercitium. Sed quià Conſtitutio reuocatoria non fuit eis legitimè denunciata, confeſſiones audire perrexerunt, & tandiù idipſum fecerunt, quandiù eiuſmodi denunciatio juridicè ſequuta non fuit. Quum autèm Epiſcopus Pignattelli per id tempus Neapoli moraretur, Curia illa ob id immeritò indignata Proceſſum contrà eoſdem Patres Confeſſores compilauit. Sed ad ſuam reuerſus Eccleſiam idem Epiſcopus, probè-

quę noſcens, iniuſtè à ſuà Curia factum fuiſſe Proceſſum, die quodam ad prandium inuitauit Prouincialem eius temporis, aliosque Patres, & coram eis lacerauit eiuſmodi Proceſſum, illud adamuſſim exequendo, quod hæc Sacra Congregatio decreuit in Reſponſione ad *VI. Dubium* propoſitum pro tutiori interpretatione Bullæ = *Inſcrutabili*, ac poſt eandem Bullam Gregorianam impreſſum hiſce verbis = *Ordinarios verò Confeſſores antè Conſtitutionis publicationem deputatos poſſe durante triennio, ab eorum deputatione inchoando, pergere in confeſſionibus Sanctimonialium audiendis, abſque alio examine, & approbatione Epiſcopi.*

54 Verùm quia Pars Aduerſa probare poterit, Superiores Regulares ſediſſe in Confeſſionali tam ordinario, quàm extraordinario, idcircò examinandum ſuccedit.

D V B I V M XIV.

An in Confeſſionali ordinario, vel extraodinario poſſit easdem Moniales exhortari, & audire.

55 Vidimus jam in examine *IX. Dubij* anguſtiam noſtrorum Collocutoriorum, in quibus cum Crates proximæ ſint Rotis, magnus ſempèr adeſt rumor plurium, pluriumque Perſonarum in neceſſarios Victus, Veſtitus, aliarumque rerum quotidianarum vſus illuc confluentium, cum nec alia exiſtent collocutoria, nec locus pro Rotis Monaſteriorum diſtinctus. Quòd autem eo loci Superior Regularis increpare debeat, atque corrigere Moniales inobſeruantes, exhortari timidas, conſilium dare dubitantibus, vno verbo illic obire Paſtoris, Patris, & Judicis officium, quiuis facilè ſecum reputare poterit, quàm durum ſit, quàm incommodum, quàmque optato fini parum ſit conducibile. Multo prudentiùs Superiores Regulares fecerunt, ſedendo in Confeſſionali, vbi procùl ab omni ſtrepitu, omniumque obtutibus munus ſuum impleuerunt, quod ſine licentia Epiſcopi implere poſſunt, ac debent, quotiès exploratiſſimi Juris eſt, eosdem Superiores ingredi poſſe Collocutorium, & cum ſuis Monialibus de rebus Spiritualibus, ac de œconomico rerum ſtatu pertractare, prout accuratè probauimus in *IX. Dubio*.

56 Nec verò fuit hoc Superiorum Regularium attentatum, quando præcipuum eorum munus eſt Moniales per ſe ipſos, ac per confeſſarios docere, admonere, dirigere, quemadmodùm optimè firmat *Paſſerin. de Stat. Homin. quæſt.* 187. *num.*839. ibi = *Prælati Regulares in præiudicium legum Clauſuræ Monialium*

nialium non poſſunt Monaſterijs deputare Patres Spirituales ; ſed eorum eſt Moniales per ſe ipſos, & Confeſſarios inſtruere, & dirigere = & S. Mater Thereſia ita præcipit ſuis Monialibus *in ſuis cęleſtibus monitis monitu* 18. ibi = *Al tuo Superiore, ò Confeſſore ſcoprirai tutte le tue tentazioni, imperfezioni, e ripugnanze, acciò ti dia conſiglio, e rimedio per vincerle* =

57 Atque hæc natiua Superiorum Regularium facultas ſublata eis non fuit, neque à Conſtitutionibus Gregoriana *Inſcrutabili*, neque ab hac Sac. Congregatione in reſponſione *ad VII. Dubium* poſt eandem Conſtit. impreſſum, quamuis enim adempta ibidem fuerit Superiori Regulari facultas audiendi confeſſiones Monialium, nihil tamèn ablatum fuit de ordinaria illa facultate, quam idem Superior habet ſupèr directione earum Animarum, quarum cura eidem imminet tam in Spiritualibus, quàm in temporalibus. Et tamen Cura Eccleſiaſtica Lycièn. vtrumque auferre tentat tàm per præſens, quàm per ſubſequentia Dubia.

D V B I V M XV.

An Superior Regularis Veſtibus Sacris indutus aſſociando Puellam habitu Ordinis initiandam, abſque licentia Epiſcopi poſſit in Atrio Clauſuræ (quod omnibus patet) ingredi, ibique Puellę benedictionem dare, an verò ſiſtere debeat in via publica ante Ianuam Clauſuræ exterioris, & quatenus affirmatiuè ad primam partem.

58 Piget jam de ſimilibus Dubijs ampliùs verba facere. Et ſanè *Dubium* iſtud non videtur habere poſſe dubitationem; Nam in veteri more poſitum eſt, vt in Ciuitate Lycienſi *P*uellæ, quæ religioſum habitum ſuſcipere volunt, antequàm clauſuram ingrediantur ad annum nouitiatus explendum, interſint Miſſæ cantatæ in Eccleſia exteriori, eaque completa, proceſſionaliter incedant comitatæ ab ipſomet celebrante vſque ad Atrium, ac *P*ortam Clauſurę, in quod quidèm Atrium ingreditur genus omne perſonarum per occaſionem tam ſolemnis functionis, idemque celebrans paternam ſuam benedictionem impartitur *P*uellæ antè ingreſſum Clauſuræ, idque indiſtinctè factum eſt tam in Monaſterijs non exemptis, quàm in exemptis *Sum. n.*2. §.8.

59 Sed Curia Eccleſiaſtica Lycien. malè ſupponens, antedictam functionem à Superiore Regulari factam eſſe actum juriſdictio-

 nalem

nalem anno 1738. induxit P. Prouincialem Benedictum Miani ad componendas nonnullas controuerſias, conuentumque etiam fuit ſupèr modo admittendi Puellas ad habitum in hunc modum = *Ed il Superiore Regolare per allora potrà eſſo, o altro in ſuo luogo trouarſi preſente all'ingreſſo dell'Educanda dalla parte di fuori del Portone della Clauſura eſteriore del Monaſtero della Strada*=cuius tamèn concordati nullam prorsùs notitiam habuit Prouincia, aut Patres Conuentus Lycienſis S. Ioannis de Aymo, vbi idem Patr. Prouincialis occaſione Viſitationis moram trahebat *Summ. num.* 4., nec Rm̃us P. Generalis, vt malè exeduerſo aſſeritur.

60 His in facto conſtabilitis, profectò *affirmatiua* prodire debet *reſponſio* ad *primam* præſentis *Dubij partem*; Alioquin enim Superior Regularis deterioris eſſet conditionis. quàm ipſimet perſonarum nobilium famuli, aliæque viles perſonæ liberè intrantes in idem Atrium, quod non eſt Clauſura ſed locus extrà illam, prout optimè inquit *Donat. in prax. Regular. tom.* 1. *tract.* 3. *quæſt.* 2. *num.* 1., & clariùs etiàm *tom.* 4. *tract.* 3. *quæſt.* 1. *num.* 5., *& num.* 6. ibi = *Ex quibus Doctores hanc faciunt vniuerſalem illationem: Ea omnia ſcilicet loca, ad quæ liber acceſſus patet Secularibus, eſſe omnino extra Clauſuram: illa verò, à quibus communiter Seculares prohibentur, eſſe intra Clauſuram: Et meritò, cum Clauſura inſtituta ſit, vt Moniales ab hominum turbis communi conſuetudine ſeparentur* = *Roderic. tom.* 1. *quæſt.* 46. *art.* 1., *Suar. oper. moral. tom.* 4. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 6.

61 Ergo ſi Atrium Monaſterij exmpti, vtpotè Regularibus ſubiecti, non eſt proprium Epiſcopi Territorium, ſed ad ſummum, vti adiacens Clauſuræ, cumulatiuè pertinet ad Iuriſdictionem Epiſcopi, ac Superiorum Regularium, procùl dubio poterunt iſti induti Pluuiali, & Stola in illud juxtà morem ingredi, paternamque impartiri benedictionem Puellis, quarum cura per regularis habitus veſtitionem jam tum in eos tota recumbit. Eoque magis, quòd talis benedictio non fit geſtando in manibus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, aut Sacram aliquam Reliquiam, nec ſupèr Populum vniuerſum, ſed ſuper vna duntaxat perſona, prout diſtinguendo monet *Pignattell. conſult.* 79. *num.* 10. *tom.* 9.

62 Aſſumptique noſtri veritas magis magiſque confirmatur animaduertendo, quòd etiàm nunc Superior Regularis ingreditur Atrium cum Pluuiali, & Stola, & ad Portam Clauſuræ propiùs accedere per occaſionem efferendi Cadauera Religioſarum, Educandarum, Famularumque jam defunctarum, vt illa recto tramite in Eccleſiam exteriorem de more deferantur, ibi = *Quæ tumulentur, benedicendo iiſdem Cadaueribùs juxta* Rituale Romanum ante Portam, vnde extrahuntur, vt

in

in *Summ. num.*2. §. 8. Quonàm igitur colore, quaue juxta ratione non poterit Superior Regularis idem Atrium ingredi, tunc cum Clauſura aperitur ob ingreſſum Puellæ habitu religioſo mox induendæ, nec viuæ paternam dare poterit benedictionem, quando illam dat mortuæ ?

63 Nec verò putamus, inſiſtendum exaduerſo eſſe aſſertæ concordiæ cum Patr. Prouinciali Miano peractæ; ſatis enim eſſet animaduertere, quòd prætenſum concordatum fuit initum intèr epulas, & cyathos, & intèr Reuerendiſſimum Epiſcopum, ſolumque Pat. Mianum *Summ. num.*4.. Verùm prætereà reſpondemus, quòd, etiamſi geſtum id extrà illas lætitiæ officijque circumſtantias fuiſſet, conſenſumque præſtitiſſent omnes Religioſi Conuentus Lycienſis; id tamèn nequaquàm officeret, attentis potiſſimùm *Conſtitutionibus Ordinis PP. Prædicatorum*, quibus expreſsè cauetur; vt Religioſi particulares renunciare nequeant Priuilegijs à S.Sede Ordini vniuerſo conceſſis, abſque Capituli Generalis aſſenſu vti, videre eſt in eiſdem Conſtitutionibus *diſtinct.* 2. *cap.*16. §. 2. *fol.*233., & præcisè loquendo de ijſdem Conſtitutionibus egregiè firmauit *Rot. coram Herrera deciſ.*134. *num.*10. §. *Aſt quando* ibi = *Aſt quando etiam procedi debuiſſet cum ſuppoſito contrario, quòd dicta tranſactio Proceſſiones controuerſas comprehenderet, attamen ea in præſenti quoad iſtum effectum nihil releuaſſet, vtpote præiudicialis Priuilegijs, & prærogatiuis per Summos Pontifices vniuerſo Ordini Prædecatorum conceſſis, quibus Priuilegijs non erat in poteſtate Patrum illius Conuentus renunciare, cum id eis expreſsè vetitum eſſet ex præſcripto Conſtitutionum ipſius Ordinis*.

D V B I V M XVI.

An hoc idem in habitu Ordinis agere poſſit in ingreſſu, & egreſſu Puellæ tàm Educandæ quàm Ancillæ.

64 *Affirmatiuè* paritèr ad hoc quoque Dubium reſcribendum omnino eſt, quia non ſolùm Superiores Regulares Sacris veſtibus induti ingreſſi ſunt Atrium noſtrorum Monaſteriorum per occaſionem ingreſſus Puellarum regularem habitum ſuſcipientium, verùm etiam ijdem Superiores Cappa religioſa induti ingreſſi ſunt idem Atrium,& tunc cum aperta fuit Ianua Clauſuræ propṫèr ingreſſum, egreſſumque Educandarum, Ancillarumque, idque ab immemorabili tempore ſeruatum fuit, vt in noſtro *Summ. num.*2. §.8.

65 Nec longè petenda eſt antiquæ huius conſuetudinis origo; nàm cum Claues Clauſuræ Monaſteriorum olim à Laicis retine-

rentur, qui Monaſteria omnia exempta, & non exempta Ciuitatis Lycien. moderabantur, idcirco vſu receptum prouidiſſimè fuit, vt ne Clauſura à libero Laicorum arbitrio omnino penderet, præſens adeſſet etiam Superior Regularis, quando eiuſdem Portæ reſerabantur ob ingreſſum, egreſſumue Puellarum Educandarum, atque Ancillarum; Quæ quidem conſuetudo inuiolabiliter ſeruata fuit ad annum vſque 1738., quo Modernus Reuerendiſſimus Epiſcopus, vt paulatim ad ſe ſe totam Iuriſdictionem attraheret, clam inijt aſſertam Concordiam cum P. Prouinciali Benedicto Miani, qui nullum prorſus hac de re verbum fecit cum Patribus Conuentus S. Ioannis de Aymo, ſolùmque in actu ipſo diſceſſus recluſit Archiuium Conuentus, dixitque ſe ſe ibidem relinquere debere ſcripturam quandam obſignatam, nec aperiendam, niſi poſt tres dies, quia ſcilicet jam facti pænituerat, & erubeſcebat, *ſe extimuiſſe faciem potentis, ac poſuiſſe ſcandalum in æquitate ſua* contra Monitum Diuinæ ſapientiæ apud *Eccleſiaſtic. cap. 7. verſic. 6.*

DVBIVM XVII.

An, ſaluo Iure Epiſcopi vna ſimul cum Superiore Regulari reuidendi, computa dictorum Monaſteriorum, poſſit Superior Regularis abſque licentia Epiſcopi Loquutorio intereſſe tempore, quo à Factore (qui Procurator nuncupatur) coram Monialibus deputatis menſatim recitantur computa in Libro maiori reportanda.

65 *Affirmatiuè* reſcribendum eſt, vtque facilius prodire queat eiuſmodi reſcriptum, illud eſt præmittendum, quod Factor duorum Lycienſium Monaſteriorum, qui in Religione Dominicana vulgo nuncupatur *Procurator*, fuit Laicus ad annum vſque 1690. *Summario num. 2. §. 2.*, tam ſcilicèt dum eadem Monaſteria regebantur à Magiſtratu illius Ciuitatis cum præeminentia Superioris Regularis, quàm poſt Magiſtratus remotionem. Succeſſerunt in eo munere Presbyteri Seculares, qui certè maiorem non obtinuerunt facultatem, quàm Anteceſſores habebant; Immo verò, poſtquam anno 1702. fuerunt à S. Congregatione Epiſcoprum, & Regularium confirmati, perrexerunt propriũ explere munus exigendi expendendique, & per ſingulos menſes in publico Collocutorio corã Superiore Regulari, & Matribus diſcretis reddere conſueuerunt rationes accepti, & expenſi, prout iam aliàs expreſsè præcepit eadem Sac. Congregatio Epiſcoporum, & Regularium, quæ die 17. *Martij*

1628.

1628., ad inſtantiam Abbatiſſæ, & Monialium S. Claræ eiuſdem Ciuitatis Lycienſis, ita ſcripſit ad eius temporis Epiſcopum = *Piacerebbe più alla Sagra Congregazione, che il Libro de' Conti ſi leggeſſe avanti le Diſcrete &c.* = quemadmodum refert *Nicol. in ſuo Manual. pro Monialibus verb. Conti.*

66 Hoc poſito, non negatur, redditionem computorum ſpectare ad Epiſcopum, ſed vnà ſimul conſtanter affirmamus, ſpectare etiam ad Superiorem Regularem, & vtrumque eſſe Iudicem in abſoluendis, vel condemnandis Monaſteriorum Adminiſtratoribus. Clariſſima eſt toties relata Conſtitutio 18. San. mem. Gregorij XV. incipien. Inſcrutabili, quæ ita ſe habet = *Sed & adminiſtrantes Bona ad eiuſmodi Monaſteria Sanctimonialium, vt præfertur, etiam Regularibus ſubiectarum, pertinentia, ſiuè Regulares extiterint, ſiuè Seculares, quomodolibet exempti, Epiſcopo Loci*, ADHIBITIS ETIAM SVPERIORIBVS REGVLARIBVS, *ſingulis annis rationes adminiſtrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur*: Notiſſimum paritèr eſt id, quod SS. D. N. Benedictus XIV. felicitèr regnans *tom.2. ſuar. notification., notific.9. num.28.* in hæc edixit verba = *Tanto dunque i Miniſtri de' Monaſterj ſottopoſti alla noſtra giuriſdizione, quanto gli altri de' Monaſterj ſottopoſti* ALLA GIVRISDIZIONE DE REGOLARI, *abbiano in pronto i Libri, e i Bilancj, che ancor prima della Viſita ſi puo dare il caſo, che ne ſieno ricercati. E per obedire alle Coſtituzioni Apoſtoliche, e a i Decreti, non tralaſcieremo di chiamare i medeſimi Regolari &c.* = In quibus ſanè paucis verbis vaſta hæc materies mirificè concluditur.

67 Contendunt igitur, & iuſtè quidem contendunt RR. PP. Principales, vt, quando Factor, ſeù Procurator noſtrorum Monaſteriorum recitat coram Monialibus diſcretis introitum, & exitum menſis antecedentis, deinde referendum in Librum Magiſtrum, intereſſe poſſit, ac debeat etiam Superior Regularis, qui ſuis ipſe oculis recognoſcere queat, vtrum partitæ ſint veræ, ac liquidæ, vtrum inter ſe benè conueniant; vno verbo, an Monaſteriorum adminiſtratio fidelis ſit, nec ne? Nam ſi Superior Regularis adminiſtrationem deprehendit minùs fidelem, tùnc certiorem faciet Epiſcopum, vt poſt exactam redditionem rationis condemnare ſimul poſſint infidelem adminiſtratorem. Id quod conſentaneum maximè eſt antedictæ Bullæ Gregorianæ, alijſque Conſtitutionibus Apoſtolicis, nec non innumeris propemodum Decretis Sac. Congregationum Concilij, & Epiſcoporum, ac Regularium, proùt egregiè concluditur in *d. notific. 9. num. 28. in fin.* regnantis Summi Pontificis, ibi = E PER OBBDDIRE ALLE COSTITVZIONI APOSTOLICHE, E A I DECRETI, NON

TRALASCEREMO DI CHIAMARE I MEDESIMI REGOLARI.

68 Idque eo magis Superioribus Regularibus eſt permittendum, tum quia Factor, ſeù Procurator ſolus per ſe ad Ciuitates partis exterioris clauſuræ recitat computa, ſtatimque in Libro magiſtro deſcribit, ſicque ad euitandas fraudes ſummopere expedit, etiam Superiorem Regularem intereſſe poſſe; tum etiam quia menſtruæ computorum reuiſiones non fiunt per viam ſolidationis, quietando Factorem, ſeù Procuratorem, proût ſi diceretur = *Approbamus, vel quietationem facimus, vel condemnamu*; id quod ſecumferret actum Iuriſdictionalem, ſed ſolummodo dicitur = *Viſti i Conti di queſto Meſe alla preſenza del M. R. P. NN. ſi troua, che l'introito aſcende a docati &c., l'eſito a docati &c., che però l'eſito ſupera l'introito in docati &c., e perchè nel Meſe paſſato l'eſito era in docati &c. ora il medeſimo eſito reſta in docati &c.*, & in fine ſemper adducuntur verba illa = *Saluo ſemper &c.* iuxta vniuerſalem totius Dominicanæ Religionis conſuetudinem. Ideoque actus iſte ſecumfert ſolummodò curam, & ſollecitudinem pro recta ſtatus æconomici adminiſtratione neceſſariam, quæ poſtea pro abſolutione, vel condemnatione Adminiſtratoris, vlterius expoſtulat iudicium.

69 Quodque ita ſe res habeat, perſpicuum redditur ex eo, quod reddere rationem duo continet, ſcilicet computum dare, & reliqua ſoluere. Non enim cenſentur redditæ rationes, niſi fiat reſtitutio reliquorum, & ſoluantur debita, proût ex literali *Text. in Leg. Quamuis, & Leg. Cum Seruus ff. de condit., & demonſtr.*, loquitur hiſce verbis *Barboſ. de poteſt. Epiſcop. par. 3. allegat. 82. num. 47.* Quoties recitantur, coram Superiore Regulari rationes dati, & accepti, toties dicitur *computum dari*; quoties verò Procurator cogitur reſtituere pecunias reſiduas, vel ſoluere debitum ex cauſa adminiſtrationis contractum, toties fieri dicitur actus iuriſdictionalis, qui à ſolo Superiore Regulari geri non poteſt, ſed etiam Epiſcopi auctoritas requiritur, iuxtà tenorem præcitatæ *Conſtit. Inſcrutabili*; nec non reſolutionis huius Sac. Congregationis in *Caſalen. 17. Nouembris 1663. relat. à Criſpin. Viſitat. Paſtoral. par. 2. §. 28. num. 10.*, quibus concinet ordinatio XIV. Ca- 9
pituli Generalis Ordinis Prædicatorum anno 1405. Norimbergæ celebrati, quo cauetur, vt Superior exigere debeat ſingulis menſibus redditionem rationis à Syndicis, ſeù Procuratoribus Religioſis, ſed nullum tamen quietare poſſit de adminiſtratione Bonorum Conuentus abſque aſſenſu Prouincialis, ac Patrum à Conſiliis eiuſdem Conuentus, ſunt verba eiuſdem Capituli Generalis relata à *Fontanàn declarat., & ordinat.*

din. cit. Capitulor. General. Ord. Prædicator. de ratiociniis Conuentuum fol. nibi 536. *n*. 4.

70 Eandemque curam, & vigilantiam Superiores Regulares ex ſui muneris officio habere debent quoad Monaſteria ſibi ſubiecta ad præſcriptum regulæ à S. Patriarcha Dominico editæ, tranſcripteque in Bulla Sa. Mem. Gregorii IX. ſub die 23. Octobris 1232., de qua in *Bullar. nou. Dominican. to.* 7. *fol.* 411., *& ſeq.*, ibi = *Priorisſa tamen, & tres Celerariæ cum Priore, & Celerariis exterioribus* (hi ſunt Factores, Syndici, & Procuratores) *de neceſſitatibus, & vtilitatibus ſuæ Domus loqui poterunt* = Idipſum ſtatuit Sa. Mem. Clemens VIII. in Generali Edicto pro Monialibus promulgato anno 1600., & relat. à *Fontan. tit. de Monialib. num.* 38., cuius Edicti ea ſunt verba = *Superiores omnes in eam curam ſedulò incumbant, vt Bona, & iura vniuerſa, quæ ad Monaſteria Monialium pertinent, ea qua decet fide, & diligentia adminiſtrentur, & rationem quotannis, vel quotiès opus fuerit exigant ab Officialibus, ſeù aliis, qui ad hoc tenentur* = Idemque pariter conſtitutum fuit à Capitulo Generali Romæ celebrato anno 1644. verbis illis = *Computa ſingulis Menſibus, vel ſaltèm intrà duos conſequentes Menſes reddantur coram Conſilio* =; quod quidem *Conſilium* conſtat ex Priore, Priorisſa, & Matribus Diſcretis, vti notorium eſt *ex cit. Fontan. pro Conuentu Pruliani par.* 2. *pag.* 355.

71 Ergo ſicut Superior Regularis poteſt viſitare ſine vlla Epiſcopi licentia Monaſteria Monialium ſibi ſubiectarum ad formam Conſtitutionum Gregorii XIII., & Alexandri VII., quarum ſupra toties meminimus, ità poteſt etiam inuigilare in rectam, ac fidelem Bonorum temporalium ad Monaſteria ſpectantium adminiſtrationem, nec non intereſſe redditioni rationum in ſingulos Menſes à Procuratoribus faciendæ iuxtà ſuperioribus locis deducta, proùt hæc etiam eſt vniuerſalis Ordinis Prædicatorum conſtantiſſima conſuetudo, vt Superiores omnes curam gerant Monaſteriorum, & in ſingulos Menſes interſint Computis, quę à Factoribus, ſeù Procuratoribus in Monaſteriorum Collocutoriis recitantur. Et rectè quidem; alioquin enim priuari poſſent ſpirituali, temporalique eorundem Monaſteriorum regimine, proùt re ipſa noſter Conuentus Bononienſis die 26. *Auguſti* 1701. ex Decreto Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium amiſit regimen Monaſterii Monialium S. Marię Magdalenæ noſtro Ordini in Ciuitate illa ſubiectarum, propter minùs accuratam Bonorum temporalium eiuſdem Monaſterii adminiſtrationem, vti patet ex regeſtris anted. Sac. Cong. Epiſcoporum.

72 Incaſſumque in Relatione Reuerendiſſimi Epiſcopi affertur hic tùm aſſertum concordatum Sac. Congregationis, tùm capu.

27. 28-

27. antiquiſſimarum Ordinis Conſtitutionum pro noſtris Monialibus. Etenim re verà etiam poſt pretenſum concordatum Procurator noſtrorum Monaſteriorum ſingulis Menſibus expoſuit rationes dati, & accepti in publico Colloquutorio coram Prioriſſa, Matribus deputatis, & Pat. Vicario Monialium vna cum eius Socio, & abſente P. Vicario, interfuit Confeſſor cum ſuo Socio, quemadmodum conſtantiſſimè ſeruatur in omnibus Ordinis noſtri Conuentibus, atque Monaſteriis, vti cuilibet eſt notiſſimum.

73 Quantum verò pertinet ad caput 27. noſtrarum Conſtitutionum, duę ſunt in promptu reſponſiones. Prima eſt, quod, quum ibidem dicatur = *vna volta l'anno, ò PIV', ſe così parerà, ſi riueggano gli ſteſſi Conti auanti il Prouinciale, ò ſuo Vicario* = fas nobis ſit quęrere à Parte aduerſa, num id fieri poſſit in Conuentus Cubiculo? Et num verba illa = VNA VOLTA, O' PIV', SE COSI' PARERA' = adimant Superioribus Regularibus facultatem reuidendi Computa ſingulis menſibus? Altera reſponſio eſt, quod *caput.*27. exaduersò oppoſitum non iam loquitur de Factore, ſeù Procuratore, ſed de Moniali Cellaria, quæ antiquitus deputabatur ad quotidianos ſumptus faciendos, cuius quidem officium nequaquam à Reuerendiſſimo Epiſcopo trahi poteſt ad modernum Procuratoris munus; Cellaria quippè degebat in Monaſterio, expenſæque ab ea fiebant coram alijs Monialibus, quæ proinde facilè poterant eius deprehendere infidelitatem, ſi qua fortè in faciendis ſumptibus adfuiſſet; Ideoque lex non cogebat Superiorem Regularem ad interueniendum menſtruæ computorum redditioni. Poſtquam verò eiuſcemodi officium translatum fuit ad Perſonam Secularem extra Monaſterium, quæ emit, vendit, expenditque ſine Teſte, & ſine Arbitris, lex Superiorem obligauit ad intereſſendum ſingulis menſibus redditioni rationum, vt ita obuiam iretur fraudibus, fideliquę Bonorum temporalium ad noſtra Monaſteria ſpectantium adminiſtratio in tuto locaretur.

D V B I V M XVIII.

An in quibuſcumque Contractibus, tam actiuis, quàm paſſiuis, per Notarium in loquutorio rogandis (Saluo iure Epiſcopi tribuendi licentiam pro rogatione eorundem) poſſit Superior Regularis intereſſe eiſdem Contractibus abſque licentia Epiſcopi.

74 Non contendunt Patres Principales, nullos, irritos, & inualidos eſſe Contractus illos, qui, præuia Epiſcopi licentia, rogan-

gantur in Colloquutorijs Monaſteriorum ſibi ſubiectorum ſine Superiorum Regularium præſentia; Quamuis enim adminiſtratio Monialium non ſit abſoluta, ſed ferè in omnibus Monaſterijs, ſaltem Italiæ, habeat relationem ad Epiſcopum, vel alium Prælatum, cui ſubſunt, quorum conſenſus regulariter exigitur, niſi aliud exigat Conſuetudo, ſeu Conſtitutio Monaſterij, *Tamburin. de Iur. Abbat. diſput.32. quæſt. 13. numer.3. Pellizzar. de Monial. cap.10. numer.146. Nicol. in Floſcul. verb. Inſtrumentum num.2., Monacell. formul. legal. pract. tom.3. tit.4. in annot. ad* §.4. *de Irregularit. num.13., Sac. Epiſcoporum Congregatio in Cremonen.*, *quæ die 22. Auguſti* 1605. ita ad Epiſcopum reſcripſit = *Moniales non poſſunt Inſtrumentum celebrare ſine licentia Ordinarij, & etiam Superiorum Regularium, ſi ſunt ſub eorum Regimine*, = prout referunt *Nicol., & Monacell. locis modò allegat.*

75 Nihilotamen minùs ijdem Principales planè, tutèque procedentes petunt ſolummodo, vt, ſi velint eiuſmodi Contractibus intereſſe, excludi minimè poſſint, prout retroactis temporibus excluſi nunquam fuerunt, vt in *Summario num.2.* §.2. Quemadmodum enim Epiſcopus, vel ipſe per ſe, vel per ſuum Delegatum interuenire poteſt reſolutionibus, quæ fiunt ab Adminiſtratoribus, & Officialibus Locorum Piorum, nam iam pro validitate actuum, ſed ratione ſuperintendentię ei de jure competentis ſuper Locis Pijs ſubiectis, vel eidem communicatæ à Conſtitutione Gregoriana *Inſcrutabili* ſuper Locis Pijs exemptis; Ita poteſt Superior Regularis propter eandem ſuperintendentiam ei pariter de jure debitam ſuper Monaſterijs ſibi ſubiectis præſens intereſſe omnibus illis actibus, quæ fiunt ab Officialibus Bona eorundem Monaſteriorum adminiſtrantibus, & quidem ad indagandam ipſorum actuum qualitatem, vtrùm nempè in beneficium Monaſteriorum cedant, necne? Quodque Superior Regularis non minùs, quàm Epiſcopus, inuigilare debeat ſuper recta adminiſtratione temporali ſuorum Monaſteriorum, generaliter affirmat Sa.Me.Clemens VIII. in ſuo *Edicto General. pro Monial. relat. à Fontan. tit. de Monial. num.38.* ibi = *SVPERIORES OMNES in eam curam ſedulò incumbant, vt Bona, & Iura vniuerſa, quę ad Monaſteria Monialium ſpectant, qua decet fide, & diligentia adminiſtrentur.* =

76 Idque definitum etiam fuit à pluribus noſtri Ordinis Capitulis Generalibus, ac præſertim in Capitulo celebrato Bononiæ anno 1597., quod in ſui ordinatione pro Monialibus ſic ſtatuit = *Inſtrumenta, & Contractus non conficiant ſine ſcitu, & pręſentia Prioris*, = vt in *Summario Ordinationum Capitulorum Generalium, & Prouincialium Ordinis Prædicatorum Bononiæ Typis* Seba-

Sebaſtiani Bonomij anno 1618., & in altero Capitulo Generali Romę coacto anno 1644., pro Monaſterio Prulliani, vbi hæc habentur verba = *In omnibus Contractibus hæ apponantur Clauſulæ Prior., & Prioriſſa de conſenſu Matrum. Qui contractus priùs à Priore, quàm Matribus ſubſcribantur* = prout refert ſæpiùs citat. *Fontan. pro Conuentu Prulliano par.2. fol.*355.

77 Quamobrem quadrat hic mirabiliter Doctrina *Monacell. formul. legal. pract. tom.*1. *tit.*6. *in annot. ad formul* 11. *num.*21., quod nempe *aliud eſt, quòd Epiſcopus per ſe ipſum, vel per ſuum Delegatum poſſit interuenire, & aſſiſtere Congregationibus Confratrum, etiamſi fiant in Eccleſiis, & Oratorijs Regularium, in quibus reperiuntur Societates erectæ, abſque eo quod poſſit excludi, vt reſpondit Sac. Congregatio Epiſcoporum, & Regularium in Cæſenaten.* 24. *Nouembris* 1690.: *Aliud eſt, quod Confraternitas non poſſit congregari ſine licentia, & præſentia Delegati Epiſcopi ſub pęna nullitatis agendorum, quod eſt contra Iuris diſpoſitionem, cui Epiſcopus non poteſt derogare* = ſunt verba eiuſdem *Monacell.*; quæ adamuſſim conueniunt Superioribus Regularibus, qui poſſunt quidem ſine vlla Epiſcopi licentia intereſſe Contractibus ad Crates ſuarum Monialium ſtipulandis, nec ab ipſis excludi valent, quantumuis initi ſine ipſorum pręſentia ſubſiſterent.

78 Paruique refert, quid Romę; & in quibuſdam alijs locis vſu receptum non eſt, vt Superior Regularis interſit contractuum ſtipulationi. Primum enim dicimus, quod in plurimis alijs Locis, ac præſertim in Ciuitate Lycienſi immemorabilis viget conſuetudo, vt in ſtipulandis noſtrorum Monaſteriorum contractibus interueniat Superior Regularis, aut Confeſſarius earundem, vt in *Summario num.*2. §.1., vtque contractibus Monaſteriorum Epiſcopo ſubiectorum interſint Cuſtodes Clauſuræ, aut Confeſſarij, vt in *Summario num.*12. Deinde ſi Romæ, atque etiam alibi vellent Superiores Regulares ſtipulationi contractuum intereſſe, certè quidem nemo eos excludere poſſet, cum id eis de jure competat ob cumulatiuam juriſdictionem, quam habent cum Ordinario Loci, prout aliàs fuit ſupra demonſtratum.

79 Præterea in Vrbe Roma, alijſque Locis adſunt Deputati, Æconomi, ſeù Syndici ad rectum Monaſteriorum regimen conſtituti; à Monaſterijs autem Lycienſibus ad inſtantiam Epiſcopi excluſi, juſſu Sacrę Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, jam inde ab anno 1605. fuerunt., vt in expoſitione Facti §.6. *& ſequentib.* Solùmque remanſit Factor, ſeù Procurator, à quo duntaxat Rm̃us Epiſcopus regi vellet noſtra Monaſteria; atque pendere tam quoad menſtruam redditionem rationum, quàm quoad contractuum ſtipulationem, aliaque temporale eorundem Monaſteriorum gubernium reſpicientia in omnimodam excluſionem Superiorum Regularium, quibus idem

Re-